



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Nerius Corsinus Archiepiscopus Damiaten. Assistens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

**Christophorus Signius Archiepiscopus Theffalonicensis Afsistens :**

**I**N Beati Antistitis Thomæ à Villanoua pectore sedem perpetuam virtutes omnes posuisse, ex eius gestis diligentissimè ad examen reuocatis, manifestè comperimus, Beatissime Pater. Sed Humilitas, & Misericordia super omnes virtutes, vt vidimus, Principatum tenuere. Nec doctrinæ præstantia, nec hominum laudes, nec Summorum Principum æstimatio Thomæ humillimum cor exaltare vnquam potuere. Episcopatum semper fugit, semel recusauit, tandem recepit: quia superiorum imperio cogi potuit. Sed Humilitas dum contra hostes, generosè pugnat, in honoribus creuit: Misericordia verò cum eo de utero Matris egressa, puerum panem suum esurientibus frangere; adolescentem egenos; & vāgos in domum suam inducere; Episcopum reditus omnes dispergere & largiri pauperibus liberalitate profusissima docuit. Cum ergo hæc virtutes alæ duæ fortissimæ sint, quibus Iusti à Terra eleuantur ad Coelum, dubitare non possumus, Regnum à Deo paratum humilibus, & misericordibus, Thomam possidere. Itaque quod illi Sanctorum cultū Sanctitas Vestra decernere deliberauit, non modo iustum, & laudabile consiliū puto, sed vt quamprimum, quod cogitauit, perficiat, humiliter obsecro.

**Nerius Corfinus Archiepiscopus Damiaten. Afsistens.**

**V**enerabilis Dei seruus Thomas à Villanoua, vitæ integer, morum innocens, virtutum omnium splendore conspicuus, ea præsertim in proximo enituit charitate, vt Elecmofynarius meritò diceretur: tota enim substantia in Christi pauperes distributa, lectulum etiam, in quo decubuit, elargitus est, vt cum nihil haberet in Mundo, quod diligeret, nihil esset in Mundo, quod pertimesceret, ac nudus nudum Christum in æterna Tabernacula sequeretur. Huiusdem Charitatis clypeo permunitus, bonum certamen certauit; ideoquè in Beata illa Hierusalem

saem triumphat coronatus. Quo intercessore tot miracula operatus est Deus, mirabilis in Sanctis suis, vt dignus profecto videatur, qui in Coelestium albo à S. Vestra, Diuino fauente Spiritu, describatur.

**Fr. Dominicus de Marinis Archiepiscopus  
Auenionen. Assistens.**

**B**eatissime Pater. Glorietur Iob secum natam ex vtero misericordiam, secum litidem creuisse ab infantia; verum Beatus Thomas à Villanoua his insuper addat, eandem secum consensuisse, & quasi vltra ianuas mortis fuisse subsecutam: quando & lectulum, in quo sanctè expirauit, iam inopi donarat, moriens tanquam in alieno. Hunc secundum dixerò Ioannem Eleemosynarium, nec fallar. Denique vita ipsius, quacumque parte inspicitur, prodigium est. Agnosco igitur Magni Augustini magnam prolem, cuius in suo Ordine rigor, ac zelus, dubitare me non sinunt, dignissimum esse B. Thomam, qui Sanctorum albo accenseatur.

**Ioannes de Torres Archiepiscopus Salernitanus  
Assistens.**

**C**um Thomas de Villanoua sanctissimus Antistes, non modo omnium virtutum zona lumbos sibi præcinxerit, sed miraculorum quoque splendore, lucernas gestauerit in manibus, adeoque admissus sit ad nuptias Agni, nefas omninò sit, aris illi decernendis non suffragari. Hoc interim enixè rogando, vt nimirum Deus Optimus Maximus tanto Ecclesie suae addito intercessore, optatam nobis tranquillitatè largiatur, & pacem.

**Franciscus Nerlius Archiepiscopus Florentinus  
Assistens.**

**T**antum admirandarum virtutum, & Sacerdotalis lucis iubar, si S. Vestrae visum fuerit, super Candelabrum Sanctuar-